

מִשְׁכֵּן letabitur.) repetitur eadem sententia, paulo mutatis verbis, majoris nempe emphaseos causâ; ut Psalm. VI, 10. XII, 8. Job. X, 20.

#### USUS PRACTICUS E VERSU I.

(1) Sapientia mundi mera coram Deo stultitia. 1. Cor. I, 19. seqq. II, 14. 2. Cor. III, 5.

(2) In corde dicere, b. e. aliquid colligere, suspicari, deliberare, non caret viro coram supremo in cælis Judice: 1. Corinth. IV, 5.

(3) De atheismo integri prostant libri; quos hic commemorari haut attinet.

(4) Operationes corrumpuntur & fiunt abominabiles, quando vires corporis & animi, in quocunque motu hominis, sinistrè adhibentur contra regulam Legislatoris, vires illas concedentis. Quò plus aut longius ab hujus voluntate receditur, eò gravior sit isthac abominatio L. de peccato.

(5) Nemo facit bonum, verè sc. sic dictum. Non sufficit, aliquid deprehendere casti, sobrii vel justii, sed opus est, ut persona faciens sit bona ac Deo placens, ut finis sit bonus, ut actio ipsa plenè correspondeat regulæ, &c. v. Bona Op.

#### USUS E VERSU II.

(1) Dei aspiciere vel prospicere, humane accommodatur debilitati: Deo namque cuncta semper sunt cognitissima ac maximè præsentia: Act. XVII, 27. 28. Ebr. IV, 12. 13. Jer. XXIII, 23. 24.

(2) Examina Deus non externas tantùm nostras actiões, (quomodo v. g. sacerdotes V. T. examinabant prius vitia victimarum externa) verum scrutatur corda & renes, (æquè ut Sacerdotes mæltarum quoque peccatum viscerat) Psalm. VII, 10. Jer. XVII, 9. 10.

(3) Examini huic nemo filiorum Adami se potest subducere, sive vi. sive dolo.

(4) Prudentiæ spirituali imprimis danda opera, ut rectè cognoscamus tum Deum ac quæ Dei sunt, tum nos, tum hostes ac pericula nostra, tum horum remedia: Deut. XXXII, 29.

(5) Deus inquiritur, quando ex verbo revelato ejusdem agnitio indies augetur, quando idem decenter colitur, devotè invocatur, unio cum eodem mystica appetitur, &c. vid. I. præcept.

(6) Nisi vis cum primo mundo vel Sodomæ miserimè perire, Deum calitus despicentem sedulo meditare: Gen. VI, 5. XVIII, 20. seqq.

#### USUS E VERSU III.

(1) Corruptio Adamigenarum est universalis ac profundissima, excepto solo Virginis Mariæ Filio: Rom. III, 23. Ebr. IV, 15. vid. L. de peccat. origin.

(2) Corruptio utut differat quoad gradus, dum præter connatam etiam deprehenditur acquisita, habitualis ac proæretica, nemo tamen se potest eximere maledictione communi.

(3) Renati tamen, vel qui populo Dei (vers. 4.) insiti sunt, & possunt, & debent bonum facere, seu bonis operibus studere: Tit. II, 11. seqq. vid. L. de Bonis operibus.

#### USUS E VERSU IV.

(1) Stupenda prorsus est hominum incogitantia ac furor, qui Deum ipsum quodammodo videretur ad admirationem commovere, ut querat; annon cognoscent? L. de Pecc.

(2) Scientiam igitur, (non mundanam, sed celestem,) sectemur sedulo, præ cunctis arcanis philosophicis,

A medicis, chymicis, politicis; quid enim juvant ea omnia? Matth. XVI, 26.

(3) De operariis iniquitatis, b. e. peccatoribus temerariis ac proæreticis, passim in Psalmis.

(4) Populum Dei, b. e. veros ejusdem cultores pios, semper devoravit, laceravit absumpsitque mundus famelicus; instar panis obvii, b. e. eorum bonis inhiavit, damna temerè intulit, exterminavit; quomodo Israel hoc expertus in Ægypto, à Philistæis &c. Sic Christiani à gentilibus, hodie ab heterodoxis.

(5) Gravissimum scelus est, non modò Deum blasphemare, ejusve veritati contradicere, verum etiam invocationis debitum intermittere. Etiam precum neglectus damnat. L. de Precibus.

#### USUS E VERSU V.

(1) Pavorem inordinatum, (quando vel Deus ipse prorsus non metuitur, vel tamen instar tyranni, vel quando creatura plus metuuntur, quam creator ipse, vel quando pavor, ubi non est, fingitur, Psalm. LIII, 6.) sequetur pavorexitialis damnatorum. id. I. præcept. de Timore Domini.

B (2) Datur dabiturque semper Generatio justorum; b. e. cætus verè Deum colentium, & per Christum justificatorum. L. de Ecclesia.

(3) De Præsentia Dei gratiosa indefinenter gaudere potest Ecclesia.

(4) Mundani, licet pavorem nunc fortiter à se depellant omnem, tempus tamen erit, ubi pavendum, horribiliter. Deus disperget ossa castrametantium contra Zionem; pudefacies, quia Deus reprobat ipfos Psalm. LIII, 6.

#### USUS E VERSU VI.

(1) Confilio ubi vis opus.

(2) Confilium egenorum, cum aliis planè innitatur regulis, quam sunt hominum carnalium, non potest non ab his deludi. Fideles deliberant in & cum Deo suo, secundum Dei verbum, cum Dei ministris: à mundani cum mundi principe, cum hujus mancipiis, insidiose, injustè, &c.

(3) Nemini illudit pius.

(4) Optimum in malis perfugium est ipse Deus, mundana præsidia ut plurimum fallunt, Deus nunquam, utut quandoque ad tempus opem bono fine differat, vid. C Fiducia: Jerem. XVII, 6 1. Cor. IV, 13.

#### USUS E VERSU VII.

(1) Salus Israël è Zion, b. e. Salus Messia è Zion promulganda est omnium certissima ac saluberrima.

(2) Circa hanc ingemiscendum anxie; sicut ea jam per Christum præstita; (Gal. IV, 4.) ita nunc orandum sedulo, quo acquisita dextrè applicetur ac profici nobis singulis.

(3) Reductio captivorum tum ex immundi corporis ergastulo (Rom. VII, 14.) tum è sepulcrorum carceribus, adhuc instat, mroduremur siquidem redivivi in æterna patriæ cælestis tabernacula. L. Vita æterna.

(4) Gaudium Beatorum erit continuum ac ineffabile. Rom. XIV, 17.

(5) Vide, ne Israëlitas imiteris quoad salutis exoptationem, (Jes. XLV, 8.) quam tamen præsentem fastidiabant repudiabantque temerè: Act. XIII, 46.

#### PSALMI